



Syncharma beneprecato-
rium.

IN SOLENNITATEM NUPTIARUM;
GENE ROSI ET AVITÆ VIR-
tutis pietatisq; cultoris strenui,
Domini;

Dn. IOANNIS MARIASI
de Markusfalva,
S P O N S I;

Ac juxta splendorem generis Nobilissimeꝝ
Virginis SOPHIÆ,
Magnanimi ac Generosissimi Domini Dn.
Francisci Palugyai de Kis-Palugya,
filix suavissimæ,
S P O N S Æ.

Anno Dn. M. DC. XXXV. Die 14. Jan.
celebratã, Boni ominis, honoris, a-
moris ac observantiæ ergò Scriptum,
dicatum, sacratum.

AB
*Abrahamo Czebani, Jurato Inclyti Comitatus Scepusien.
jam ad Annum 25. qui ultimus, Notario, &
aliis quibusdam bonis amicis.*

Lz Leipzig
II. 2522.



Sponsus ad IEHOVAM.

SI satis in stabulo instabili hoc, variabilis ævi,
Cœlibe me vitâ tot superasse dies!
Magne DEUS Paradysiaco qui primus in horto
Jicisti Sacri vincula Sacra thori:
Te precor ob pactum hoc sanctum, me Cœlibe Vitâ
Exsue, & in Sacros me revocato Toros!
Da Vitæ Sociam, si forte necesse putabis,
Da Sociam Vitæ Jova benigne meæ.
Quâ cum quod superest ævi, sed sospite sospes
Gratus agam Cœli Te super astra ferens.
Cæstus amor meus est, amor est sine crimine noster,
Cæstus amor Venereis, ceu Stygis antra fugit.
Cælitus hîc mihi defluxit, sit ut anteros isto
Pectore: De Cælo manat honestus amor.
O cælestis amor! fac floreat hic mihi, & isto hoc,
Me mea semper amet, si qua futura mea est.
Sed quis me Socrui, quis me insinuabit amicis?
Vel quis erit tantæ Dux mihi, quæso, Viæ?
Vos ego, Vos Sacrosancta Trias prostratus adoro,
Este mei! Vobis res patefacta mea est.
Tu rege Consilio PATER actus, cor fove Amore,
Spiritus; ô JESU Tu Paranympus ades!
Conciliate mihi Sponsam: Vos este parentes
Este mei; in vestro Spes mea Tota Sinu.
Obtinui? ecquæ istos Virgo impia ferre repulsam
Conciliatores, nostro in amore sinat?

Virgo ad Matrem.

Cur toties nostras, Mariassi, scandat ad ades,
O genitrix, gnata, dicito, chara, tua;
Non loca sylvarum salebrosa, nee aspera tesqua;
Non via, obest nostros quin petat ille lareis?
Est aliquid! licet haud refert me scire: sed ipsa
Non tamen hic aditus suspicione caret.

Mater ad Filiam.

Deliciae, mea gnata, Tuos hic ambit amores,
Ut Sibi Te, Tibi Se copulet unus amor.
Quem minime rebare hic vult Mariassius heros?
Te Sociam! heu quanti Nobilis uxor eris?
Posce DEI auxilium, Sacris ut numina tædis
Aspiret felix, & tua vota beet.
Prima tibi sit cura DEI, sit proxima chari
Conjugis, & casti Tertia casta tori,
Feceris? Hic praesens cor sancta diriget atrâ,
Conjugium felix fit nisi dante DEO.

Virgo ad Sponsum.

Ergone Tu nostri poscis concubia lecti
O Mariassiana splendor honosq, Domus?
Quid poscis? cur ista rogas? quin tu mihi mandas?
Est parere meum, sit monuisse tuum.
Manda inquam mihi secure, ô dulcissime Coniunx
Omnia, morigeram me decet esse tibi.
Mutua quam poscis nostro quoq, pectore flamma
Concepta est, igni non minor illa tuo.

Hunc

*Hunc DEUS in nobis conservet amoris amore
Ardeat inter nos castus amoris amor.*

Epitalamion.

Nunc igitur quæ Vota tibi Mariassia proles
Postquam Christus adest & facit omne, feram?
Est ita? cuiq; dies sua stat: Natura, domusque
Exigit, & sine quo nil sumus: Ipse DEUS.
Prævidit voluitq; DEUS qui proutibus olim
Foedera legitimi sanxit honesta tori.
Prævidit, voluitq;: tibi parere necessum est
Sis ut amoris honor; sis ut honoris amor.
Nonne Paltidgiâjam sociat tibi JOVA Sophiam?
Suaviolam verè quam reor esse Rosam:
Gratulor ô tanti gnatam tibi Sponse parentis
Quam pudor & probitas ornat & omnis ho-
nor.
Gratulor ô tanti lectum tibi Sponsa mariti,
Quem Genus & Virtus nobilitatq; Themis.
I, nunc Junonem hanc tibi *τῆς Φιλότητος* Joannes,
Arte nega in Thalamos cælitus esse datam:
I vel ad Antipodas, vel ad *ἄντρημα* arva, jugales
Temne faces, Magni temne statuta DEI.
Hoc orasse tuum est: FIAT TUA SANCTA VOLUNTAS,
Arbitrio Domini stant quia cuncta DEI.
Quo Vult ille loco, hoc nos stare, sedere, jacere,
Ire, redire jubet, nec secus esse potest.
Au quàm salvificum est, magno confidere JOVÆ,
Au quam sit sanctus qui datur inde torus!
Vos DEUS omnipotens cui Vincla jugalia curæ,
Vitâ, pace, tori pignore, amore beet.

Pater Sponsæ. Gen. 24. Tob. 7. & 9.

ET quia sic visum est magno, mi Sponse, **J EHOVÆ**,
Ut sit amor thalami, filia nostra tui,
Nil moror obsequio: faveant sacra Numina cæptis,
En dextram gnata, comprime, nate, mea.
J OVA, autor Te conjugii benedicat honesti,
Namq; Boni verè es filius ipse patris.
Et Tu gnata Virum nosces, **DOMINUM QUE** vocabis,
Dignus honore **DEUS** dignus honore Vir est.
Ite, comes sit **J OVA** via, mea pignora Vestra,
Et Mariaßjanam prole fovete domum.

Mater autem dixit Tob. 7.

GNata meæ vires; I, sic vult magnus **I OVA**,
Ut thalami fructus mater & ipsa feras.
Ipse tibi tribuat pro passo gaudia luctu
Hactenus, æterna protegat atq; manu.
Reddat & incolumes, & pulchra prole beatos,
O prius hæc videam singula, quam moriar.!

Fratres autem imprecañ prospera So-
rorior dixerunt, Gen. 24.

NOstra Soror, Soror es dulcissima nostra, Sophia,
Ossibus os nostris carneq; nostra caro:
Multiplicet Dominus cæli Te in millia mille
Crescat & in thalamo spes benedicta tuo.
Possideatq; tuum castra adversantia Semen
I, **J OVA** sit tecum gratula, chara Soror.

Anagr.

Anagram. Joannes Mariafi.

1. Rosa es in anima? I. 2. Amara nisi Senio
*In nostra es florens animâ rosa, Virgo pudica, I;
Nec Senio mihi amara nisi post funera Virgo.*

A L I U D.

Joannes Mariafius: Sophia Paludgiai
Anagram.

O Sophia, visa es plana à dignis amari.

Distichon.

O Sophia à dignis, plana es, mihi semper amari
Visa, ideo dignam Mariafisia Te approbat aula.

Munusculum Sponsis oblatum.

Dona ferunt Sponsis: Vinum dat, Christus, amici
Aurea vasa, metron Musa, quid ipse dabo?
Sume Agatocleo in hoc, non multa Cydonia, disco,
Qualia fert nuptis sacra fuisse Solon.
Gratus ab his odor, & gustus, tactus, nec ocellis
Abnua: sic vester sic bene spiret amor.


E P I L O G U S.

Opto novis Sponsis, ad precedentia, ab ALTO:
Divitias ABRÆ, Mathusalæq; dies?

Abrahæ.

Hucusq; Abraham Czebani Notarius Comitatus.

DOMS



D. O. M. S.

Vota Senum prisco valuerunt tempore multum,
Quis nostro spernat tempore Vota Senum?
Plures quàm decies septem vivendo peregi
Annos, & vitæ tædia crebra tuli.
Tædia post tedas oriuntur plurima! Sponse,
Me numero videas illa minore, precor!
Johannes Serpilius Eccl. Leybicen. Pastor.

Allusio
ad Evangelium Dominicale, ejusdem
Dominici diei, quo celebrabantur
Nuptiæ.

1. Cor. 7. **R**es ea, quando sibi, Juvēnis vel Virgo, Sodalem
Connubii jungit fœdere, labe caret:
Nubere enim satius, calidâ quàm pectoris uri
Flammâ, ac in vitium carne sequace trahi:
Sed tamen anxiferæ (juvencos quæ sæpè fatigat
Duriter) expertes non datur esse Crucis.
Hoc facili monstrant, Convivia prima, figurâ
Fecerunt Sponsi quæ, Cana parva, tui.
En! ubi lætitiæ cupiunt pia Corda vacare,
Causa juvenis, Vino deficiente, deest.
Inde querela gravis! Nihil, undam præter, habetur
Sex Urnæ lapidis quam tenuere cavi.
At quia Christus adest, mox quælibet Urna falernum
Nupticolis dat, quod COS habet atq; placet.
Exercere Suos novit sic J O V A fideles!

B

Vino

Vino lætitiæ sic recreare potest!
Hinc, tedis dum sponse vacas, pro sorte futurâ,
Urnas præstantis *SEX* tibi fingo Meri,
Ad Mensasq; tuas jam colloco: Robur iisdem
Si Christi dederit, ceu precor, alma Manus:
Harum difficiles vel sola memoria curas
Leniet inq; domo gaudia multa ciet.
Prima notat sani thesaurum corporis omnem,
Altera, quod jugi constat Amore, Bonum;
Tertia, constantem mentis fideiq; tenorem,
Quarta, die quovis quæiseget usus, *Opes*;
Quinta senescentis felicia tempora vitæ:
Sexta tori pulcrâ fertilitate scatet.
Hæc Bona conjunctim Nostris servantur in Urnis,
Quæ precio superant omnia Vina gravi.
Ex his haurio, dum junguntur pocula Votis:
Cum Votoq; Tibi præbibo, Sponse: **SALUS!**

Anagrammatismi.

JOHANNES MARJASI: SOPHIA PALUGIAI

ex quo

IN AMARIS SIES NOHA: VAH, OPIS PIA LIGA!

Explanatio.

Verfandum fuerit si fors IN rebus AMARIS,
Ut Mella amaror excipit:
Mente SIES NOA! nec timeas infueta Malorum
Sulcanda quæ sunt æquora.
VAH! PIA OPIS facta est LIGA! Quomodo? Cara Sophia
Tua est ligata pectori.
O Pia & ô dulcis LIGA! Sic solamina Cordi
Jucunda surgunt cominüs:
Et quæ sola fuit Soli fors usq; ferenda

B

Ligata

Ligata tanget Corcula.
Quæ citiùs vincent, Votis ubi sancta ligatis
Poli petent palatia:
Alligat ipse enim Votis sua dona Jehova
Tandem & fideles liberat.

Chronodistichon.

InspICito fastos: FELIX feliciter Vni
ConIVnctos Sponfos! Iam bone ChrIste faVe!

*Johannes Serpilius Secundus Eccl. Kez-
marcen. Past. & Fraternitatis Past. In-
ferioris fluvii Poprad p. t. Senior.*

Sponse polite, gravis generoso & sanguine Nate,
Præclare ô Fautor Patris Avi^q mei:
Sedulus in studiis ut sim, me sæpe monendo
Instans, promittens subsidiumq, mihi.
Ut videas, quorsum tendam puerilibus annis
Versiculis tedas audeo adire tuas.
Et quia non possum pro tempore scribere multa
En! Tibi cum Sponsa quæ tibi ritè datur.
Grammaticis quot lineolæ spectantur in arvis
Tot, qui decurrent faustiter, opto dies.
Hæc nunc sufficiant: quando, auxiliante J EHOVA,
Doctior evadam, tunc meliora dabo.

Johannes Serpilius Tertius.

Siccine pertasus, Sanguis Generose, grabati
Unicubi, bicubum quaris amasq, torum?
Propositum laudo, Solus quis nemqè caleseat,
Dum modò torpenti frigore bruma riget.
Ad spondam calidam Sponsam nî duxeris, actum est
Factabis vacuo frigida membra toro.

I nunc

I nunc & pueri contemne Cupidinis arma,
Quæ tandem subito victus & ictus abis!
Victus & ictus abis, læso cordiq; medelam
Quæris, quam forsàn Virgo venusta dabit.
Curarint alios alia: GENEROSA SOPHIA
Cardi erit infirmo nunc Panacea tuo.
Dante utriq; DEO fiat curatio felix!
Et cura in cunas disfluat, opto, novas.
Ite, secundabit thalamos DEUS ipse pudicos,
Ite propagatum nobile utrumq; genus.
Classica cantat Amor, Genialia prælia inite,
Vivite, vobiscum vivat ut æquus Amor!
PUSIO, jò Paan! cunis cantillet ut ipsis
Autumnus quando mustea vina feret.

Gregorius Arelt Eccl. Filcen. p. t. Past.

Aliud Anagramma;

JOANNES MARIASSI

Ἰωάννου Μαρίας

INEO MARIA NASSIS.

Discursus.

VT Piscator abit Nassis instructus & Escis,
Capturus Pisces sedulitate bonos.
Sic INEO MARIA en NASSIS, nervisq; secundis,
Annectens escas mente favente bonas.
Quàm benè res cecidit? Piscem ratione valentem
Fœmineo è pelago Nassula nostra refert.
Hic pro fœturâ vivis servabitur undis;
Gaudia quò faciat, deliciasq; mihi.
At tu, magne DEUS, Captori, Pisciculoq;
Omnia cum vero Nomine fausta dato.
Cum Sophiâ Sponsâ me Sponsum nempe gubernas,
Quæ nobis profint suppeditando bona,

Sic nostræ Mentēs dicent tibi tempus in omne
Hic & ibi grato Carmina grata stylo.

CARMEN NUMERALE.

Bis Septena en LVX IanI fLorebat In astris,
MarIasI Iano Virgo Sophia Dat VL.

*Leonhardus Philomela Minister Verbi
DEI in Battisfalvâ indignus.*

Vere novo rerum, posito fundamine mundi,
A Domino primus dum fabricatur homo;
Displicuit cælebs, sociâ sine compare, vita;
Imperio quamvis nobilitata soli:
Sic licet exundet dives tibi copia cornu,
Vita tamen minimè fædere cassa placet.
Scilicet est in rem, sociale capessere fædus:
Sive decus domui; sive requiris opem.
Hoc quoq; jam pridem domus hæcce poposcerat abs te;
Nam melius juncti pensa laboris eunt.
Quod dum connubii sic fortunaverit author;
Non video, patriâ quid tibi desit humo.

I I.

Allusio ad studia Sponsi; & no-
men Sponsæ:

Qui puer instudiis, Sophia flagrabat amore,
Et Sophia ductu prospera quoq; tulit;
Nunc Patudejanam, generosa stirpe, Sophiam,
Desponsam socio fædere, munus habet.
Quam bene conveniunt, & eadem sede morantur:
Conjungi Sophiam cum sapiente viro!
Quam quoq; felix est, dextro cui numine Divum:
Crescere cum Sophia, & consennisse datur!
ô faciat summi Christus sapientia Patris,
Cum Sophia longum vivat ut iste sophos!

*Nicolaus Paulinus Kozogidenus,
p. r. Schola Battisfalvensis Rector.*

BONI

B O N I D I E S
IN SACRO CONIVGIO,
Commendati concione, desumptâ è
2. Sam. 12. habitâ verò, pro Solenni
Sponsaliorum Ratificatione, ad-
hibitâ statim Sacrà Co-
pulâ.

GENEROSI AC NOBILISS.
Dn. IOHANNIS MARIASI,
DE MARCUSFALVA,
SPONS I; &c.

à Leonhardo Philomela,
Eccl. Battisfalvensis Pastore.

ERASMI ROTERODAMI

De Conjugio

DICTERIUM.

Nuptias esse, brevem Cantionem, sed
habere longum Epiphonema.



B O N I D I E S.
I N S A C R O C O N -
J U G I O.

VOTUM.

Qui se cum omnibus credentibus desponsavit in æternum, in justitia & judicio, in benignitate ac misericordia, Hof. 5. v. 2. sit maneatq; nobiscum, per fidem spiritualiter desponsatis, Spiritus Sancti gratiâ, Amen.

Parasceve
cum Ora-
tione Do-
minica.

Qualiter *Die Bono*, id est prospero, nos gerere debeamus, eleganti informatione erudimur, ab Ecclesiate, cap. 7. *In Die Boni, frueri bonis*, (sive bono sis animo). Quoniam itaq; Deus, qui solus bonus est, Matth. 19. tam Generoso Nobilissimoq; Domino *Johanni Mariafi* de Marcusfalva, & Generosæ pudicissimæq; Virgini *Sophiæ Palugiæ* Consponsis, quam nobis universis, qui juxta monitum Apostolicum, Rom. 12. *gaudemus cum gaudentibus*, *Borum Diem*, benignissimè concessit, non immeritò conjunctim bonis fruimur, bonoq; sumus animo; Quod ipsum ut in timore Domini piè continetur, oblectationem primam capiemus ex Verbo Dominico, *quod verè latificat*, Psal. 119. aures mentesq; nostras daturi sacro & conciso sermone. Eum ut in nominis divini gloriam & communem nostri ædificationem, devotè inchoemus & debitè terminemus; opem Spiritus Sancti implorabimus, orantes; *Pater noster, &c.*

Verba præsentis Actui nostro accommodanda, sunt verba Jehovæ, quibus per Nathanem Prophetam, *Uriæ Hethiræ* Conjugium lepidissimâ describit parabola, 2. Samuel. 12.

Textus.

Pauper autem nihil habebat omninò, præ-
ter ovem

ter ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creverat apud eum, cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, ac in sinu illius dormiens, eratq; illi sicut filia. Hæc verba in præsentiarum breviter discutiemus.

C O N C I O.

IN Cantico Canticorum cap. 3. vocatur Dies Nuptiarum, *Dies læticiæ cordis*, Auditores dilecti & devoti, & quidem non incongruè. Nam nulla dies majorem & solidiorem parit læticiam (in rebus corporalibus quidem) atq; dies Nuptiarum. 1. Ratione sui; Hæc enim est Dies, quam fecit Dominus (liceat verba mutuare ex Psalmo 118) in qua Neogamis indulgetur læticia & exultatio; nec integrum est cuiquam interrogare, *Cur ita?* A Domini scientiâ talis dierum separatio, Syrach. 32. 2. Ratione Dei, Nam tali die, **D E U S H O M I N E M** peculiari nobilitat gratiâ præ cæteris creaturis, utpotè, Illis, quæ sunt juxta nos: quibus, quæso, animantibus copiam fecit Deus, vivendi in conjugio? Nullis. Illorum conjunctio nullum est Conjugium, sed nuda commixtio: quædam duntaxat animalia societate gaudent: quæ *Exemplaris* dici potest; ut inde, à Minore ad Majus argumentari discamus: Si illa inter se tam benè conveniunt, quantò magis inter *Rationalia* id est *Homines* fieri par est. Diabolis, ut creaturis, infra nos, talem læticiæ Diem non fecit, ut Conjugio se jungerent, cum ipsorum multiplicatio non sit necessaria, & aliàs, tantis malorum spirituum sit numerus, ut pia mens, vel sola mentione fa-

cta, mul-

Exordium.

Dies Nuptiarum homini est Dies Læticiæ cordis.

1.
Ratione
SUI.

2.
Ratione
DEI.

Et multum cohorrescat. At forte Sanctis Angelis, creaturis supra nos, hujus læticiæ Dies concessa est? Neutiquam. In cœlo enim neq; Uxores ducunt, nec nuptum dantur, Matth. 22; verum longè majori felicitate ipsos beavit Deus, nec eorundem multiplicationem perinde desiderat ac hominum. Sic tantum *Hominibus Dies Nuptiarum Dies Læticiæ cordis est & permanet.* 3. Ratione Sponsi & Sponsæ; Tali quippe die potitur *Sponsa Domino & Capite!* quo honoris titulo Christianum maritum exornat Apostolus, Ephes. 5. *Sponsus nanciscitur adjutorium, Gen. 2. Cervam suavissimam & Damam gratiosam, cujus in amore errare, eoque delectari potest jugiter,* privilegium hoc concedente Rege Salomone, Prov. 5.

3.
Ratione
Sponsæ &
Sponsi.

At! quid & quantus est dies? Expende sanè *diem artificialem*, h. e. quamdiu Sol Horizontem nostrum radiis suis illustrat, oculosq; nostros ferit; sive *diem Naturalem*, unius diei terminum, absolutum 24. horis completis; quod si læticia cordis *Sponso & Sponsæ* diutius comes esse non deberet, haud operæprecium foret, vel solam talis diei mentionem fieri. Nonne spectabilis cordis Læticia obtigerat Protogenitoribus nostris in Paradyso? Sed quia tantum unico die, sive (ut quidam volunt) aliquot modo horulis duravit qualis & quanta illa fuit? Perbrevis certè & fat exigua. Verumenimverò, quia sub denominatione diei, sacris in literis, nonnunquam breve, nonnunquam benè longum temporis spacium indigitatur, ut videre est 1. Sam. 27. Gen. 2. agite in præsentiarum considerabimus;

Propositi-
tio.

Quomodo pii Conjuges rem aggredi debeant, ut omnes dies, durante ipsorum Conjugio, Dies Boni, immò Dies Læticiæ cordis esse, ipsosq; etiam sub adversitate omnigena

exhila-

exhilarare possint. Ille DEUS cujus æquè est *di-*
es ac nox, Psal. 74. impertiat nobis Spiritus sui Sancti gra-
tiam, Amen.

Inconveniēs, *Auditores*, & minūs possibilis Res instituti
nostri, fortasse, videbitur; partim PROPHANIS,
qui statum Conjugii minūs æquis examinantes rationi-
bus, existimant, in Conjugio vivere, nihil aliud esse, quàm
sponte negotium facessere, & ejus tranquillitatem tur-
bare, cujus sententiæ *Thales* olim fuisse dicitur.. Unde
Proverbium natum; *Uxorem duxisti, Libertatem vendidi-*
sti: partim quoq; CHRISTIANIS; posset enim quis-
piam in tales descendere cogitationes: Quâ, quæso, ra-
tione, omnes dies, durante Conjugio, Dies Boni, & Di-
es Lætiæ cordis esse possunt? cum Conjugii status vel-
ut cæteri omnes, per lapsum corruptus & sat dolorosus fa-
ctus sit, *ex parte Mariti*, quoad curarum, molestiarum &
laborum frequentiam; *Ex parte Marite*, quoad dolorum
& ærumnarum circa partum & educationem liberorum,
occurrentium vehementiam, divina comminatione no-
tatas, Gen. 3. Huic respondetur; Ut ut in Conjugio non
semper *Dies Boni*, sive *Dies Lætiæ cordis* haberi possint in
Experientia; haberi tamen possunt in *Conscientia*: siqui-
dem pii Conjuges, aliquid adversi patientes, *non patiuntur*
ut malefici, sed ut Christiani, ex voluntate Dei, exponente
hoc discrimen Divo Petro, 1. Epist. Hinc omni obstacu-
lo remoto Propositionem nostram stabilimus, docentes,
Pios Conjuges rem aggredi debere tribus sequentibus RE-
QUISITIS ritè observatis.

Primum est: Si Sponsa rectè agnoscatur.

Secundum: Si Sponsa benè nutriatur.

Tertium: Si piè regatur.

Suspiria.
Quibus
Prop. in-
conveniēns
videri que-
at nimir:

I.

2.

Requisita,
Prop. tria

C

Primum

I.
Agnitio

I.
Pro ovicula necessaria.

I.
Ratione pudicitiae.

2.
Oeconomia.

3.
Totius Vitae.

2.
Pro Ovicula unica.

PRimum, quod attinet, agitur in eo de Sponsae recta Agnitione. Verba Textus ita habent: Pauper autē nihil habebat omnino, praeter ovē unā parvulam, quam emerat. Hæc verba pro utroq; Coniuge faciunt, & utriq; officii sui, rationem ob oculos ponunt, Ordinem itaq; bonum servantes, primum locum damus *Sponso* sive *Marito*. Is *Sponsam* sive *Uxorem* suam agnoscere debet: Primò pro ovicula necessaria: Urias hoc loco quidem pauper vocatur, eo nimirum respectu, quod Possessiones ejusdem, cum bonis regiis minimè erant conferendæ, nihilominus tamen ipsi à Spiritu S. Ovicula (& quidem Ovicula Coniugalis, quæ erat *Batseba*) appropriatur. Talis ovicula Viro est necessaria, partim *Ratione pudicitiae*; ita enim vult Apostolus, ut ob vitandam fornicationem, unusquisq; suam uxorem, & unaquæq; suum virum habeat, 1. Cor. 7. partim *Ratione Oeconomiae*, cujus administratio adjutorio omnino opus habet, Gen. 2. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem, adjutorium secundum illum est, & columna ut requies. Ubi non est sepes diripitur possessio, & ubi non est mulier, ingemiscit gementis, Syr. 36. partim deniq; *Ratione totius Vitae*, Melius enim est duos esse simul quàm unum. Habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se, Et si dormiverint duo, fovebantur mutuò? unus quomodo calefcet? Eccles. 4.

Secundò; pro Ovicula unica, *Pauper nihil habebat, praeter oviculam unam*. Quâ voculâ unicuiq; viro pluralitas virginum & mulierum ducendarum interdicitur, & contra unica Ovicula Coniugalis permittitur, siquidem qui hominem fecit ab initio, *Marem & Faeminam*

fecit

fecit eos, Mat. 19. Non autem unum Marem & multas foeminas; non multos mares & unam foeminam. Unde Polygamiam (quam in veteri Testamento inter Patriarchas Deus, ob causas certas quidem tolerabat, non tamen ordinabat). Christus sustulit, loco citato his verbis: Erunt duo in carne una. Secundum hanc primitus institutam & post per Christum renovatam ordinationem, etiam apud nos, Honorabile sit Conjugium inter omnes, & torus immaculatus, scortatores autem & adulteros judicabit Deus, Hebr. 13.

Tertio, pro Ovicula cara. De Uria dicitur, ipsum nihil habuisse praeter *Oviculam unam*, quae verba non ita accipienda, ac si in summa paupertate duxisset extrema per omnia vitam: Virtute quippe militari opes non contemnendas proculdubio acquisiverat, cap. 11. praecedenti fit mentio, ipsum a Rege muneribus ornatum, & propriam possessionem habuisse: at qualia qualia possederit: tamen ea pro nihilo aestimantur omnia, respectu Conjugis suae, quam habebat pro ovicula carissima, quam unice amabat, quam summo in precio tenebat, non secus ac Unionem preciosissimum, quo honoris titulo dilecta vitae socia afficitur, Prov. 3 1.

Quicumque itaque *Dies Bonos & Dies Laticiae cordis in Conjugio suo desiderat*, is similem dilectionem cordi suo divinitus implantari expetat, eamque indefesse exerceat, ita fiet *ut septem anni servitutis & angustiae exemplo Jacobi, Gen. 29. videantur velut septem Dies Laticiae.*

Alter Locus tribuitur *Sponsae sive Oviculae Conjugali*, si eadem pariter *Dies Bonos & Dies Laticiae Cordis* appetit, secundum *Requisita a Spiritu Sancto annotata*, se quoque diligenter accommodet, *Seipsam agnoscendo*:

Primo, pro Ovicula parvula, quod vocabulum Emphaticum in textu usurpatur. *Parvulam*

autem

3.
Pro ovicula cara.

Applicatio.

Secundus Locus de sponsa.

Sponsa seipsam agnoscat.

1.
Pro Ovicula parvula.

1. Ratio-
ne Origi-
nis.

2. Divi-
næ Institu-
tionis.

3. Finis.

4. Men-
tis.

autem se esse, & esse de bere sciat. Primò *Ratione Originis*, non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro, i. Cor. 11. Secundò parvula *Ratione Divinæ Institutionis*, Deus enim non Eandem viro, sed Virum eidem pro capite præfecit, Gen. 3. Tertiò, *Ratione Finis*, Non enim vir creatus est propter mulierem, sed mulier propter virum, i. Cor. 11. Parvula deniq; *Ratione Mentis*, quoniam ad publica onera obeunda, non æquè est apta atq; Vir. Ac quamvis Deus quasdam foemellas præclaris ornavit virtutibus, ut *Jaelem*, *Juditham*, tamen ista exempla sunt singularia, cæterùm de communi mulierum grege rectè loquitur Petrus 1. Epist. 3. *Mulierem vas debile nominando*, Quòd si quæ mulier sublimiora spirat illa & ordinationem Dei & ordinem naturæ invertit, pro capite pedes, pro pedibus caput constituens.

2.
Misera.

Secundò, agnoscat se pro *Ovicula Misera*, Quod enim miserius est animalculum *oviculâ*. Destituta Pastore fideli, Lupo fit præda, morbis corripitur, in devia errat. Ecce quantum valet mulier destituta viro? Perparum, plerumq; spinæ instar amissa rosa, habetur. Ipsamet non facilè rationē aliquam victitandi invenire, Sibiq; commodè prospicere potest. Quod ipsum misellæ viduæ, non sine dolore experiuntur. Et cã ob causam, hoc loco Mulier, non animoso caballo, non cani mordaci, non Leoni imperium affectanti assimilatur.

3.
Pro Ovi-
culâ emptâ

Tertiò, agnoscat se pro *Oviculâ emptâ*. Emptæ enim *Oviculæ* textus facit mentionem. Quod non ita accipiendum, quasi amor conjugalis pecuniâ & sumptu primum comparari deberet; Minimè;

Namq; amor emptus

Et color aspersus perpauco tempore durat.

Verùm *Ovicula Conjugalis* pio Sponso emenda est:

1, *Preca-*

1. *Precando*: Uxor enim prudens à Domino, Prov. 19.
 2. *Procando*, id est, competentis requisitione, Exemplo Eleazari, Gen. 24. Jacobi, 29.
 3. *Oeconomiam adornando*: Uxorem enim ducere cupiens ante omnia de habitatione, deq; necessariis sibi prospiciat, quò eandem honestè alere possit; Veluti equum empturo, de stabulo prius sollicitum esse competit: Triplicem istam emptionem uxor probe consideret & magnifaciat, si *Bonos Dies & Dies Leticie Cordis* videre discupit. Ita Auditores, tenetis primum requisitum, quò Spiritus S. in textu prælecto proponit, quâ ratione pii conjuges in Conjugio suo, *Dies Bonos* immò *Dies Leticie Cordis* habere possint.

His membris absolutis, brevitatis causa sermo hîc abruptus erat; quò autem totius dispositionis series pateat; Lectori in gratiam sequentia duo Requisite adjecta sunt.

Secundum requisitum agit

DE BONA SPONSÆ NUTRITIONE.

Nathan Spiritus Sancti ductu rem pertexere pergit: *Et nutrierat eam, & creverat apud eum, cum filiis ejus simul de pane illius comedens & de calice ejus bibens & in sinu ejus dormiens.* Horum verborum praxis iterum ad utrumq; Conjugem spectat: Ad *Maritum activè*, ad *Maritam passivè*. *Marito* divinitus assignatur *Nutritio*. Nam si quis suorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior, 1. Tim. 5. *Nutritio* verò varia est, & apprimè necessaria: 1. *In Vita*, quoad sustentationem, ad quam pertinent *Victus & Amictus*, de quibus Uria Oviculæ suæ affatim prospexerat. 2. *Familia*, ut etiam illi nutriantur, qui ab uxori-

1.
Præcè.
2.
Petitione.
3.
Labore.

Nutritio.

Varia.
1. In Vita.
2. In Familia.

ribus Originem trahunt, putà, *Liberi*, Sic Uriam fecisse constat, qui Oviculam suam unà cum filiis suis nutritiv.

3. *In Fama*, Ubi honesto viro opera sedulò danda, quo Uxori liberisq; suis, honestam famam post se relinquat. Hæc ad nutritionis prosperitatem sæpè plus facit, quàm magna divitiarum affluentia. Quis nescit liberos multiplici benedictione ditari, vel ob solam pietatem paternam? Inde Raguel juniori Tobiaè votum tale litavit, *Benedictio sit tibi, Filii mi, quia boni & optimi Viri filius es*, Tob. 7. Inde Urias insignem laudem reportavit. Dicitur enim hîc, *Uxorè apud eum & liberos ejus crevisse*, h. e. Uriã Militis strenui munia strenuè obivisse, velut ex capite præcedèti liquet, sicq; honestam famam, *sibi, uxori & liberis* profuturam acquisivisse. Quod si itaq; Maritus *Dies Bonos*, immò *Dies Lætie cordis* in Conjugio habere vult, de simili *Nutritioe*, in *Vita, Familia & Fama* eum sollicitum esse oportet.

Quæ *Passivè* ad Uxorè spectant, ea præptè exequatur.

I. *Famæ suæ originem agnoscendo*, unde nimirum suam habeat eminentiam, cum antea parvula audierit? Aliunde certè non, quàm à *Marito*: apud eundem crescit & magna est, non propter ornatûs splendorem; non propter formæ nitorem, vel alia adjuncta, sed propter ipsum & apud ipsum *Maritum*. Ita videlicet *Betseba* apud *Uriam* creverat: Ita etiamnum *Ovicula* Conjugalis sive *Uxor* coruscet radiis mariti, non aliter atq; *Luna* splendorem suum à *Sole*, *Ecclesia* salutem à *Christo* participat. Unde liquidò constat, quem mulierculæ insolentiores spernant atq; parvifaciant, Maritis suis spretis & debito honoris cultu ipsis negato. 2. *In paucis acquiescendo*. Hoc loco de *Batseba* dicitur: *Comedebat de pane, sive de frusto panis ejus*, quo significatur, quamvis non semper curaverit ferculorum copiam mensæ apponi, quam perditionem hodie quoq; frugi *Patresfamilias* averfantur,

1. *In Famam*

Uxori
confide-
randa.

Famæ ori-
ginem ag-
noscendo.

2.
In paucis
acquiescē-
do.

memo-

memores versiculorum:

Cum dat. oluscula, mensa minuscula, pace quieta;

Ne pete grandia, lautaq; prandia, lite repleta, tamen illa velut prudens Oeconoma eandem boni consulu-
it. Oh! quàm jucundi, quàm boni dies, ubi Conjuges
invicem bene convenientes, æqui boniq; illa faciunt,
quæ tenuis focus subministrat; non autem in eorum sunt
numero, qui cuticulam curantes, delicatis & lautis cibis
satiari nequeunt. *Natura & Boni paucis sunt contenti.*

3. Adversa perferendo. *De calice ejus bibebat,* te-
statur Textus. Vocabulum *Calicis*, factis in literis diver-
simodè accipitur; Aliquando usurpatur pro *Cruce & tri-*
sticia: Hoc sensu precepcionem suam instituit Christus,
Matth. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste,* id
est, præsens anxietas & adversitas; Aliquando sumitur pro
luce & leticia, ut Psal. 27. *Calix meus abundans seu inebrians,*
quàm præclarus est! Duplex iste Calix non rarus est in
Conjugio. Nunc bibendus porrigitur *Calix Myrrhâ, Absyn-*
thio & Aceto, hoc est, multiplici miseria & calamitate ple-
nus. Isto divinitus apposito, *Uxori unà bibendus est.* Ex hoc
poculo bibebat Sara, Maritum, nunc ob annonæ carita-
tem in Ægyptum, nunc iterum in Cananæam sequendo
Gen. 12. & 13. Ex hoc poculo bibebat Rebecca, exilium
cum Isaaco suo patiendo, Ibidem 26. Similiter quando
Deus propinat *Calicem bono Vino*, vel alio quopiam dolci
liquore repletum, quod fit, si læticia sequatur mœsticiam,
ex sola solius Dei misericordia & benignitate scaturiens
tum Uxor aequè hoc fruitur haustu. Duplicis hujus Calicis
participes quondam factæ sunt, Abinoam & Abigail, Da-
vidis Uxores, quæ non modò captivantur, sed etiam rur-
sus liberantur, 1. Sã. 30. imò Regina salutantur. Esther ab
orbitate aureo Ahasueri poculo & Regia dignitate poti-
tur, Esther. 2. Proinde quæcunq; tandem fors, secundum

3.
Adversa
perferen-
do.

bene-

beneplacitum Dei pios Conjuges excipiat, tandem æquo pectore ferant, considerantes, quòd *Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum*, Rom. 8.

4. Marito se unice associando, De Batsaba dicitur; *Et in sinu ejus dormiebat*. Modus iste loquendi sumptus est à parvulis, qui nusquam suavius cubant, quàm in sinu Materno, etiamsi aliàs pulvilli mollissimi substernerentur, ille verò multò inveniretur durior. Similiter Uxorem Spiritus Sanctus cupit affectam, ut passim circa Maritum versetur, in ejus complexu & sinu hæreat. Hoc si facit, Mariti sui favorem apprimè sibi conciliare potest; Quòd si verò absente Marito illicitis basiationibus se oblectare nitatur, alteriusq; viri sinus ipsi videatur mollior, quàm proprii, res mali est ominis, *Diesq; Boni è Conjugio eliminantur*.

4.
Marito se
se unice as-
sociando.

Tertium Requisitum agit.
DE PIA SPONÆ RECTIONE;
Eratq; illi sicut filia.

Sponsa à sponso servatur.

1. In dilectione.

2. Admonitione.

3. Defensione.

4. Castigatione.

Filia à Patre servatur in *Dilectione*. Omnis enim affectus expertem oporteret esse Patrem, qui Filiam suam non amaret: ut ut in eam quidam prolabantur dementiam, ut meros filios, tanquam Familiæ Conservatores & Amplificatores expetant, de quibus hoc in loco non agitur, sed de illis tanrummodo patribus, qui quod progenuère sincero complectuntur amore. 2. Filia à Patre servatur in *Admonitione*, ut videre est, Tob. 10. ubi Parentes Saram Filiam commonefaciunt, qualem se erga Maritum, Parentes & familiam gerere debeat. 3. Filia à Patre servatur in *Defensione*, quemadmodum Laban rationem habuit filiarum suarum, Jacobo in Matrimonium elocatarum, Gen. 31. 4. Servatur in *Castigatione*,

juxta

juxta monitum Syrach. 26. In filiam inverecundam, firma custodiam, ne inventâ occasione utatur. Quòd si itaq; secundum Elogium Spiritus Sancti Maritus loco Patris, Uxor loco filia est, servanda quoq; Eadem est in dilectione, quæ semper fervida sit & constans, sic enim clamat Apostolus Ephes. 5. Viri, diligite Uxores vestras: *In Defensione*, tam apud filios, quam famulos; tam apud domesticos, quam exoticos: etiam cum vitæ dispendio. *In Castigatione*, quæ verbis necessitate postulante fit severioribus, quemadmodum Jobus pientissimus ille & patientissimus Vir, Conjugem suam objurgavit ad imprecationem se instigantem, Job. 2. Cavendum autem ne à verbis eatur ad verbera, & iisdem jucunditas Conjugalitatis turbetur.

Viceversa si Sponsa sive Uxor est instar filia. Maritum pro patre quoq; habeat, quod demonstret;

I. Imperium sibi non vendicando.

Filia enim non imperat, inde DEUS ipse Legem tulit, Gen. 3. *Ipsa (Maritus) dominabitur tibi*, 1. Tim. 2. repetit Apostolus eandem sententiam; *Mulier non permitto dominari in virum*. 1. Cor. 14. Omnino eam subjectam esse censet.

2. Maritum venerando: Filia pia Patrem omni prosequitur honore, considerat enim se ab eodem innumeris affectam esse beneficiis; idem præstat Uxor Marito, exemplo Saræ, Abrahamum Dominum suum appellantis.

3. Paternis monitis obsequiando, prout toti foemineo choro facem præferunt, Lea & Rachel & alia à pietate Matronæ cemmendatissima. Si quo in Conjugio *REQUISITA* breviter recitata accuratè observantur, & promptè in effectum deducuntur, in

In defensione.

In Castigatione.

Sponsa à Sponsa instar parentis habendus.

1. Imperium sibi non vendicando.

2. Maritum venerando.

3. Paternis monitis obsequiando.

Conclusio.

Perora-
ito.

co meri *Dies Boni*: immò *Dies Laticia Cordis* exoriuntur.
Quos ego corditùs Neonymphis opto, precans, ut non
tantùm hodierna dies, ipsis porrò sit *Dies Bona* & *Dies*
Laticia Cordis, sed ut complures sequatur, & durent usq;
ad diem Vitæ terminum. Hoc ipsum elementissimè
largiatur ille DEUS, qui omnes *Dies nostros*,
quotquot futuri sunt in libro conscripsit,

Psalmo 139.

Et omnis populus dicat,

A M E N;





Carmen joco-serium polymetron.

PRO EXHILARANDIS DO-
MINIS HOSPITIBUS
NUPTIARUM

GENEROSI DOMINI
IOANNIS MARIASI
de Markusfalva.
SPONSI, &c.

Surge gravi vel treis años mea Musa veterno
Torpida! Nobilibus dic carmen nobile Sponsis,
Sive meo sive alterius sub nomine fufum.

Surculus ex celebri Mariasidos arbore, turgens
Progenie simili, Generosa ex stirpe PALUDIAI
Plantulam, in æternum fœdus geniale JOHANNES
Suscipit: à teneris Musarum is cultor, ut inde
Musarum quoq; sit sacro dignissimus hymno.
Ergò agite ô vos tres simili sub fœdere, Fratres
Germani! vestro quatuor de Fratibus uni
Ludite, vota q; fundendo, venereisq; canendo.

GEN. DN. GEORGIUS MARIASI &c.

Salvete præclari Hospitis HOSPITES!
Narrabo textam carmine fabulam,

De Uxore pravâ, cum Marito
Belliferum capiente somnum.

In somnio vidit Pater, acriter
Se examinare ex Grammate filium,
Ut diceret pro parte, cujus
Sit generis mulier? resolvit
Se sic: in er quæ Nomina desinunt,
Quod masculini sunt generis. Pater
Commotus ira, Conjugi mox
Dat colaphum, puerum putando:
Res digna risu. Hæc naet à alapâ statim
Ceu vipera assurgit, furibunda, trux,
Clamore magno dormientem
Excitat, & volat in capillos:
Crudeliter lecto miserum extrahit,
Utrisque pugnâ tergora verberat.
Hinc prodiit nuper libellus
Ille, MALUS MULIER vocatus.
Hæc profero non ut facinus probem,
Sed ut probam qui ducere Conjugem
Vult, oret, atq; ante elingat, quàm
Diligit. hoc Juvenes notate!
Jam care Frater! quid voveam tibi
Sponso? nihil quàm ex pectore Conjugem
Virtutibus cultam suorum à
Sanguine Nobilium Parentum.

GEN. DN. ANDREAS MARIASI &c.

Jam mala præcessit, sequitur bona, rara Marito
Mullier, historica condecoranda fide.
Germanus Comes in diro discrimine belli
A Turcis captus ducitur in Thraciam.
Compedibus junctum duris ubi conspicit alma

Comes
VVilhel-
mus de
Gleiché, in
Thuringia,
Año 1190.

Virgo,

Virgo, (Mahometi filia Regis erat)
 Moribus acceptum Comitem faciemq; venustum
 Deperit, occultè talia verba ferens:
 Servitiis pressum duris, captive, miserta
 Tis, ego te proprio solvere Marte queo,
 Te mihi si vinclo cupis associare jugali,
 Inq; tuam tecum ducere vis Patriam.
 Captivus roseo suffusus forte rubore, ac
 Pulcrior hinc faciem conspiciendus, ait:
 Non licet: est mihi namq; domi dulcissima conjunx,
 Sunt pariter thalami pignora cara duo.
 Illa, quid impediat, respondit, habere duas, treis
 Aut plureis, licet hic sicut habere Thraces.
 Ille modo Libertatis compulsus, & hac cum
 Virgine Regali vincula recta subit.
 Dimissus liber, Patriam dum reppetit, audit
 Vitam cum gnatis quòd prior Uxor agit.
 Promptus adit Romam, rem gestamq; ordine narrat
 Pontifici, rata qui vincla secunda facit.
 Non quòd ad hæc Comitem traxisset foeda libido,
 Sed grave servitii ac carceris illud onus.
 Papali accepto secum diplomate, lætus
 Conjuge cum Thracica pervenit usq; domum.
 Altera, conspecto domino cum pellice, Conjunx
 Obvia in amplexus facta utriusq; ruit.
 Flet præ læticia, repetita dat oscula, summa:
 Omnia quæ hospitibus sunt facienda facit.
 Ambas exercet magni reverentia cultus,
 Ardenti sibimet semper amore pareis.
 Turcica (quod mirum) quantumvis Regia proles,
 (Fortè quòd hæc sterilis: fertilis illa fuit),
 Pignora Germanæ tractando cedit honori,
 Vilis & ancillæ sponte gerendo viceis.

tui vel tis
 mei vel mis
 pronom.

Adde, quòd uni hi tres simul incubuère cubili.

U X O R E S I N T E R F A B U L A R A R A D U A S.

Hæc valeant. Jam te Frater carissime, Sponsum
Ulnis amplector lætus utrisq; meis.

Et precor, ista tuis Conjunx virtutibus apta
Successus tibi sit causa caputq; boni.

Pareat & pariat, pereatq; quod obstat. amanteis
Quos castos junxti protege Jova Deus!

GEN. DN. FRANCISCVS MARIASI,
pro tempore Vice-Comes Comitatus
Sepusiensis, &c.

Nuper Sponsa fuit, timens cruentum
Primo in concubitu imminere vulnus

A Sponso sibi, quem manu repellit.

At Sponsus genibus subinde flexis

Admissum rogat, obsecratq; frustra.

Quid fit? porrigit is manus sinistra

Sponsorem digitum, atq; in os rebellis

Imponit bene dentibus premendum,

Vel tantillum ubi læserit puellam.

Admittit bona supplicem, Virumq; a-
gnoscit, non modò nil morata morsum.

Amplexa est humeris utrisq;, grata

Pro factò; sed & osculata Sponsum,

Congressus simileis vel eM peroptans.

Hunc, Frater, lepidum jocum fer æque

Ut par est animo. Cupido nulla

Ignoti: decet ut bonas puellas.

Restat seria res: mihi meaq;

Quod

*Quod possum, uoveo Tibi Tuæq̃:
Flammam perpetuam paræ favoris;
Vitam Nestoream pii laboris;
Prolem Christicolam tui saporis.*

Lusit Samuel Ludimontanus M. D.
Generosi Dn. Sponsi ante an-
nos XXX ex S.S. Bapti-
smate Susceptor.



Umg. VI 6

ULB Halle

3


005 905 370



VD 77







B.I.G.



Farbkarte #13

neprecato-
 N U P T I A R U M:
 AVITÆ VIR-
 ltoris strenui,
 ni:
 MARIASI
 sfalva,
 N S I,
 eneris Nobilissimeꝝ
 P H I Æ,
 sissimi Domini Dn.
 de Kis-Palugya,
 simæ,
 S Æ.
 K X V. Die 14. Jan.
 inis, honoris, a-
 ergò Scriptum,
 ratum.
 nchlyti Comitatus Scepusien.
 ultimus, Notarie,
 onis amicis.

Lz Leipzig
II 2522

